



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Levinvs Episcipvs Et Martyr Gandauensium Patronus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

nasterium anno 980. translatum est. Ita Chronicon Gandense, habes apud Molanum, Miræum, & in officio Dignorum Ecclesiæ eiusdem.

L E V I N V S E P I S C O P V S

ET MARTYR

Gandauenſium Patronus.

12. Nou. **L**EVINVS in Scotia (forſan Hiberna, quæ olim Scotia maior, ad discrimen illius quæ nunc Scotia minor & Hiberniæ olim pars) nobili genere natus, admodum adhuc puer non modo ſupra ætatem eximiâ pietate conſpicuus, verum etiam miraculis clarus fuit: adultæ autem ætatis factus, præceptoribus uſus eſt, primùm egregio Dei Sacerdote Benigno, deinde ſuſceptore ſuo è ſacro fonte, magno illo Auguſtino Anglorum primo Epifcopo, à quo tandem ſacro etiam Sacerdotij ordine decoratus, tantâ cum laude eo in ſtatu verſatus eſt, vt eum Scoti haud multo poſt in Archiepiſcopum ſuum elegerint, quod munus tametſi Rege populòque compellente ſuſceperit, & magno cum fructu per annos aliquot ſuſtentauit: poſteâ tamen maluit infidelibus ad Chriſtum conuertendis operam dare (ad quam rem mirâ Spiritus ſancti gratiâ præditus erat) quam in Epifcopatu ſuo vni tantum Prouinciæ quietius & minori cum labore præeſſe. Itaque relicto in Scotia loco ſuo magnæ ſanctitatis & virtutis Syluano Archidiacono, ipſe Euangelij plantandi cauſſâ tribus cum diſcipulis Foliano, Helia, & Kiliano Oceano traiecto deuenit in Flandriam, & ingreſſus Coenobium Gandenſe à beato Amando Epifcopo tunc recens exſtructum humaniter à Florberto Abate

bate fratribusque exceptus est anno incarnationis Domini-
nicæ 633. decimo septimo Kal. Aug. vbi cum B. Bauonem
triennio tunc defunctum magnis coruscantem miraculis
inueniret, memoriam viri celeberrimam, & præsentia
sanctitatis testimonia admiratus triginta continuos dies
super eius sepulchrum Missarum solemnia celebrauit, sui
multis precibus & Monasterij Gandensis curam illi com-
mendans. Postea autem inde prædicationis causâ pro-
fectus, innumeros ad Christi fidem verbo & exem-
plo, magnisque adiunctis miraculis conuertebat. Sed vir-
tutem umbrâ suâ statim inuidia sequitur: homines enim
impij quibus Christus & pietas omnis erat exosa animad-
uertentes sanctum Episcopum tantam hominum multi-
tudinem ad nouam religionem erroribus pristinis vitiis-
que spretis adducere, atque adeo suis ipsorum prauis cu-
piditatibus non parum obistere, miris modis eum perse-
quebantur; nec omninò desistebant donec linguam eius
extractam canibus deuorandam proijcerent (quæ tamen
illi mox miraculo restituta fuit) ac tandem apud Hescham
Flandriæ vicum multis vulneribus faucium etiam ob-
truncarent anno ante memorato pridie Id. Nouembris.
Hæc ex officio Gandensis Ecclesiæ. Plura apud Miræum
& Molanum vide.

Fuit & alius Leuinus Francus de tertio Ordine Mino-
rum, qui passus est martyrium Quadri in Babylonia, vt
scribit Marcus Vliffiponensis in Chronico sui Ordinis an-
no 1345. qui fortassis Belga fuit, ex ea parte Occidenta-
lis Franciæ, in qua Leuini nomen celebre est. Quam
nunc Flandriam nuncupamus.